

traditur solum, vocant beneficium. Imperatoris enim corona, & vestis, & currus, nihil horum honor est, sed honoris insigne: sic nec beneficium, quod sub oculos venit, sed vestigium beneficii. Et Lib. I. de Benefic. idem ita scribit: Non quid fiat, aut quid detur refert, sed qua mente: quia beneficium non in eo quod fit aut datur consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Magnum autem esse inter ista discrimen, vel ex hoc intelligas licet, quod beneficium utique bonum est. Id autem quod fit aut datur nec bonum, nec malum est. Animus est qui parva extollit, sordida illustrat, magna & in pretio habita debonestat. Ipsa quae appetuntur neutram naturam habent, nec boni nec mali. Id refert, quo illa rector animus impellat, a quo forma datur rebus. Non est ergo beneficium ipsum quod numeratur, aut traditur. Sicut nec in victimis quidem, licet optima sint, auroque praefulgeant, deorum est honos, sed pia ac recta voluntate venerantium. - - Si beneficia in rebus, non in ipsa benefaciendi voluntate consisterent, eo majora essent, quo majora sunt quae accipimus. Id autem falsum est. Nonnunquam enim magis nos obligat, qui dedit parva magnifice, qui regum aequavit opes animo, qui exiguum tribuit, sed libenter; qui paupertatis suae oblitus est, dum meam respicit, qui non voluntatem tantum iuvandi habuit, sed cupiditatem; qui accipere se putavit beneficium, cum daret, qui dedit tanquam non recepturus, recepit tanquam non dedisset, qui occasionem qua prodesset & occupavit & quaesivit. Contra ingrata sunt, licet re
ac